



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Opera Mystica V. Ac Mystici Doctoris F. Ioannis A Crvce  
Primi Religiosi Discalceati Ordinis B. V. M. De Monte  
Carmelo Et Seraphicæ Virginis Theresiæ fidelissimi  
coadiutoris**

**Juan <de la Cruz>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1639**

§. V. Mirabilia Abulæ operatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37873**

spiritu imbuit ac fundavit, unde postea tamquam è fecundissimis seminarijs alia plurima eiusdem instituti germina pullularunt.

§. V.

*Mirabilia Abule operatur.*

**N**on viris dumtaxat, sed etiam ordinis sui virginibus Ioannes præluxit. illas quæ primitivam regulam profitebantur, ad contemplationis apicem direxit, adeo efficaciter, ut etiamnum fructus in ipsis perseveret. alias, quæ sub mitigatiore vivebant, intra vocationis suæ limites ad orationis & reformationis spiritum verbo & exemplo pertraxit. fidem faciet Cœnobium Abulense ab Incarnatione nuncupatum, ubi cum munere Confessarij suavis B. M. Theresiæ fungeretur, monialibus talem animarum profectum attulit, qualem in hunc usque diem, non absque præceptoris sui grata memoria, experiuntur. Hic in morbum incidit monialis Maria de Hiera, qui præter spem & opinionem ingrauescens necdum Ecclesiæ Sacramentis munitam repente abstulit; accitus Venerabilis Pater inopinato euentu percussus occurrit ad monasterium, & defunctam intritus coram Venerabili Sacramento orationi inskit, deinde lætissimo applausu accurrere moniales nuntiantes illius precibus defunctam vitam restitutam. Illud quoque dignum admiratione quod testibus oculatis constat: Cum Venerabilis Pater cum B. Virgine Theresia quadam vice altissimos & pro more suo ferventissimos de Sanctissimæ Trinitatis mysterio sermones misceret, adeo utriusque animus diuino igne incaluit, ut Sancta Mater rapta in extasim: ipse vero non solum in extasim, sed etiam in ætæ una cum sede tamquam alter Elias raptus fuerit. Plura alia admiranda, & Ioannis sanctitatem testantia, Abulæ acciderunt: pauca è multis delibabimus. Puella nobilis & vulgi opinione spiritualis, libidinoso animo Ioannem aggreditur solum & sine teste agentem; at vir castissimus carnalem hunc amorem in diuinum mutavit, eamque cordè compunctam & facti penitentem reddidit. Aliam quoque ad meliorem frugem reduxit, quæ post sacrilegam voti, quo Deo sacrata erat, violationem, notoria turpitudine toti civitati scandalum præbebat: cuius facti hanc retulit mercedem, ut à sacrilego complice fastibus egregie fuerit exceptus, tanta cum animi, non solum patientia, sed etiam gaudio, ut lepide interdum diceret, non minus sibi dulces fuisse baculos, quam Beato Stephano lapides. Quod sequitur plane singulare est. Monialis alterius Ordinis à teneris annis Dæmoni sese tradiderat, scripamque proprio sanguine consignauerat schedulam: ex pacto inire mira patrabat, ita ut viris doctis non paucis imponeret. Agonia Venerabilis Pater immundum spiritum, ex ritu Ecclesiæ adiuravit, vicit, expulit, & tamquam alter Basilius memoratam schedulam reddere cœgit, qua igne combusta, & pacatione rescissa, monialem liberavit, atque in statam reduxit meliorem.

(†)

§. VI.